Dr Thomson

with the compl^ts

of the Author

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PNEUMONIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS CARR,

ANGLUS.

Calendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXII.

c

JOANNI P. GRANT,

DE *ROTHIEMURCHUS*, ARMIGERO,

QUEM

JURIS LEGUMQUE PERITUM,

EGREGIISQUE INGENII MUNERIBUS ORNATUM,

INTER SENATORES BRITANNICOS,

INCORRUPTA FIDES NUDAQUE VERITAS HONESTANT,

MULTAS OB CAUSAS SIBI OBSERVANDO:

NECNON,

JOANNI THOMSON, M.D. S.R.S.E.

OB MAXIMA BENEFICIA COLLATA,

MONITAQUE IN STUDIIS PERSEQUENDIS UTILISSIMA;

HOC OPUSCULUM,

QUALECUNQUE SIT,

ANIMI IN UTRUMQUE GRATISSIMI

TESTIMONIUM PEREXIGUUM,

SUMMA CUM OBSERVANTIA,

CONSECRAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PNEUMONIA.

Ex omnibus morbis quorum pectus sedes est, nullus quam Pneumonia frequentior est, sæpiusve interimit, nullus igitur cui inter initia magis oportet obstare; quodque bene est, nullus adversus quem magis valet ars medicinalis.

DE HUJUS MORBI INDICIIS.

Hoc vitium ab aliis bene discrevit clar. CULLEN, signis sequentibus: " Pyrexia, dolore in

a

quadem thoracis parte, respiratione difficile, tusse." Ab horroribus, signisque aliis febris, plerumque incipit; posteaque sub inspirationem sentitur dolor pectoris, quem tussis, quæ ab initio protinus morbum comitatur, valde auget. Nec lentis passibus morbus progreditur, citoque nisi ars obsteterit, hominem rapit: respiratio enim fit difficillima crucians que, facies livida, anxietas maxima est, morsque serius ociusve accedit. Sic se gerit morbus in plerisque, neque tamen in omnibus; hic enim animadvertendum est, quod in debilibus strumosisque morbus diutius protrahatur, longusque sæpe fiat. In quibusdam pulsus inter initia naturales aut etiam tardi sunt, post exinanitionem frequentiores atque validiores evasuri. Aliis dolore acutissimo sine febre cæterisque signis præcursoribus, morbus subito invadit. Denique in aliis, rarissime tamen, signa pene omnia, tusse excepta, adsunt.

Duas pneumoniæ species, Pleuritidem scilicet et Peripneumoniam, annumerare solent auctores; inter quos clar. CULLEN in Nosologia sua idem fecit, sic tamen ut dubitaret an species diversæ vere statuendæ essent. Bene enim comprobatum

erat inflammationem in parte aliqua pleuræ incipientem magis minusve in pulmonem penetrare; id quod statuit BOERHAAVE; et in capitibus tertio quartoque BAILLIE. Pleurâ quæ pulmoni insidet inflammatâ, frequentius pulmo ipse afficitur. Raro autem pulmo vexatur inflammatione, quæ pleuræ quoque non invadit; hæc vasis tenuibus rubris infarcitur, lymphæque coagulabilis tunicam ostendit.

Pulmonem igitur æque atque pleuram serius ociusve inflammatione affici, unumque tantum morbum constituere, non est dubitandum. Mihi tamen videtur in initio unam tantum laborare structuram, saltem in plerisque exemplis, neque alteram nisi post aliquod tempus lædi: inter veram itaque Pleuritidem et Peripneumoniam nonne in hoc stadio licet dignoscere? Ob spiritum vel rem acrem in pulmonem sub inspirationem inhalatam Peripneumoniam aliquando oriri, ob costam fractam sæpe Pleuritidem, comprobatum est.

Pleurâ inflammatâ febris plerumque et dolor urgent, quod revera membranis serosis inflammatis semper accidit. Dolor arctam sedem sæpe

tenet, inspiratione quidem leni auctus; hinc fit ut æger se movere et exercere horret, nec in latus corruptum cubare potest; præterea solet magis per septum transversum quam per musculos intercostales spirare, verum hoc multum ex parte pleuræ quæ potissimum vexatur, pendere potest. Tussis semper dolentissima, inter initia est sicca, quum a pleura quæ septum transversum obtegit irritata vel inflammata tantum oriatur, postea humida vel sanguinolenta, cum diathesis phlogistica totum corpus occupat.

Potest esse etiam pleuritis longa, quæ debiles eosque præcipue qui vitio aliquo pulmonis strumoso afficiuntur, infestat. Hæc eo quod longius se trahit, atque febre gravi doloreque pleuritidis veræ caret, ab ea plurimum distat.

Pulmone autem ipso inflammato, febris primo gravissima, paulo post minus sævit; pulsus molliores tardioresque fiunt; dolor obtusus est. Respiratio difficillima est cruciansque, facies tumida cum genis labiisque colore livido suffusis. Signa modo memorata fortasse se ostendunt, cum lympha coagulabilis effunditur, adeo ut pulmo quo minus se distendat, impeditur, cellulæque sic comprimun-

tur, ut aër mutationes solitas efficere in sanguinem non possit. Ob eandem fortasse causam æger corpus quam maxime erectum fere tenet. Tussis ex aucta secretione ex bronchis humida, finem versus viscida cruentaque est. Sputa tunc albida, subfusca vel viridia sunt, aliquantulum pellucida, aëremque ob visciditatem continent: quinetiam adeo sunt viscida, ut vase in quod excreata fuerunt everso, lateribus ejus adhuc adhærent. Denique vultûs anxietas maxima est, ratione habita organi vitiati quum omnium princeps sit.

DE MODO DISCERNENDI HUNC INTER MORBUM ALIOSQUE EI SIMILES.

Hepatitis in prima sua accessione faciem pneumoniæ habere aliquando dicitur. Sed plerumque signis sequentibus inter se dignoscuntur. Dolor in priore ex pressura in hypochondrium dextrum facta augetur, ad claviculam summumque humerum dextrum intenditur, atque nauseam vomitumque sæpe excitat. His interdum ac-

cedit singultus, atque adeo signa quædam icteri, qualia sunt levis flavedo summæ cutis atque oculorum, cum stercore albido, urinaque subflava. Præterea in latus sinistrum homo cubare fere nequit, ideo quia, hoc ubi facit, jecinoris ligamenta (quæ sedes plerumque vitii sunt) intenduntur, atque ita dolor molestiaque adaugentur. Tussis quoque quæ in pneumonia ab initio vexat, in hepatitide ante diem secundum nunquam accidit, nec tunc inspiratione leni quæ dolorem æque ac tussim pneumoniæ intendit, movetur.

Musculorum intercostalium rheumatismus haud raro medicum fallit; nec minus quia dolor inspiratione tantum, ne minime quidem eorum actione musculorum qui brachium movent, intenditur. In Pleurodyne autem febris lenis vel nulla est, nec vexat tussis: dolor ægro decumbente, vel linimento quod excitat adhibito, minuitur, pauloque post musculos vicinos afficit.

Pericardium quum ex pleura producatur, per idem tempus quo illa inflammatione haud raro vexatur, eosdemque habet exitus, puris scilicet vel seri secretionem; fortasse aliquando morbum cordi impertit. Carditis autem dolore fixo, pul-

su inæquali, syncope, palpitationibus et singultu, (omnia quæ signa carditidis esse CULLENUS aliique statuunt), non semper dignoscitur; cuique enim contigit videre ubi perpauca quidem vel nulla horum signorum existebant, attamen cor magnis nuper subiisse mutationibus post mortem constitit. Sitim ægri, qui corpus antrorsum flectit impatiens cubandi, modumque spirandi per musculos tantum intercostales, inter signa præter alia supra dicta, annumerare licet.

Hysteria quæ morbos pene omnes plus minusve imitatur, aliquando quidem, raro tamen, habitum pneumoniæ assumit; ne æger periculum hinc capiat, constitutio ejus morbique historia diligenter sunt perscrutandæ.

DE HUJUS MORBI TERMINATIONIBUS.

Inflammatio pulmonis, præter quod, tanquam cæteræ inflammationes, interdum resolvitur (id quod semper votum est), potest vel per adhæsiones inter partes vicinas, vel per suppurationem, atque ex hac empyema, vel per subitam effusionem lym-

phæ sanguinisve, aut per gangrænam, aut denique per conversionem in materiem jecoris substantiæ similem (*hepatisationem* vocant) finiri. Quod si igitur morbus resolvitur, solet plerumque aliquis evidens fluxus hoc ostendere; ut puta, sanguinis profusio ex naribus, aut sudorum insolitus fluxus, aut alvi fluor, aut urina in qua quædam copiose subsidunt, aut denique (quod sæpissime accidit) sputum magna copia excreatum. Membranæ autem serosæ, eodem pene tempore quo inflammationem suscipiunt, serum et lympham coagulabilem, per quam partibus vicinis vel inter se annectuntur, effundere solent. Istæ vero conjunctiones per lympham ipsam firmæ sunt, sensumque pungentem, quem sæpe sub inspirationem sentiunt ii qui jamjam laborarunt pleuritide, gignunt; vel postea laxiores fiunt, cum lympha gradatim in membranam cellulosam conversa fuerit, unde evenit ut pulmonis motus non impediatur.

In pleuritide serum ab initio simul atque lympham coagulabilem effundi solere, supra dictum est. Inter has nulla est ratio habita quod ad copiam: in debilibus magnum aquæ coitum, in

qua natant parva frustula lymphæ, sæpe invenimus; nec raro post pleuritidem longam tanta copia secernitur, ut in hydropem pectoris morbus gradatim transire videatur: in validis autem cito in sanguine resorbetur.

Rarissime ulcera in membranis serosis deteguntur; attamen pus a lympha supradicta vel a pleura ipsa, persæpe effunditur, atque inter pleuras adhæsione plerumque implicatur. Signa hujus coitus sive empyematis sunt horrores, inter quas minuuntur dolor et febris, dum æque atque antea molestæ sunt spirandi difficultas et tussis. Facile in latus affectum cubat æger, pauloque post formatur febris hectica.

Sæpe fit quod pus ex abscessu pulmonis in bronchos, vel sensim elabatur vel subito profluat. Ubi parce exspuitur valetudo prospera sæpe redit; majorem autem atque subitam effusionem plerumque mors cito sequitur. Attamen rarius quam quidam putant, abscessus in pulmone ipso inveniuntur; quoniam, ut inquit LAENNEC, peripneumonia quæ levis est vel natura vel ope medica plerumque tollitur, quæ vero majorem visce-

ris partem afficit, ante interimit quam per abscessum portio ulla destrui potest.

Effusio autem lymphæ vel sanguinis in membranam pulmonis cellulosam, quæ cellulas aëris comprimit, atque ita sanguinis circuitum per pulmonem impedit, et quasi strangulat, hominem sæpissime rapit. Pulmo ad vitam adeo necessarius est, ut vitium ejus prius ægrum extinguat, quam gangræna facile supervenire possit. Secundum Laennec, gangræna pulmonis morbis iis qui vere et natura sua gangrænosi sunt, speciebus scilicet diversis anthracis, est affinis: inflammatio autem circumfusa affectus potius morbi quam causa esse videtur. Celeriter in talibus exemplis morbus progreditur; vires ægri ab initio succumbunt, pulsus imbecilli et incitatiores sunt, tussis frequens potius quam valida; sputa facile imprimis expuuntur, fœtida et subviridia, deinde ob debilitatem desinunt ferri, atque ægrum strangulant.

Notandum quoque est, pulmonem eandem aliquando induere faciem post inflammationem atque jecur habet. Texturam suam cellulosam tunc deponit, quasi granosus scilicet facturus.

Lympha forsan tarde lateque effusa hoc fit; nec quidem aliqua quibus dignoscatur signa morbus habet, nisi quod diutius trahitur quam solet.

DE INDICIIS QUÆ PROFERT STETHOSCOPIUM IN HOC MORBO.

Sonus quem pectus sanum edit percussum, cum aliquid in pulmonem effusum fuerit nullus est; longe vero majoris momenti est id, quod instrumentum dictum Stethoscopium in tali statu demonstrat. His enim in effusionibus, murmur respirationis quod in corpore sano per stethoscopium auditur, vel nullum est vel valde minuitur. Ubi effusio ab initio magna fuit, hoc murmur per totum latus affectum nisi prope vertebras non percipimus; id quod, cum morbus per paucas tantum horas vexavit, certissimum est signum effusionis.

In peripneumonia murmur gradatim desinit; atque in diversis pectoris partibus inæqualis percipitur, a superiore parte non nisi post dies plures vel hebdomadas decedens. In pleuritide au-

tem decessio subito, æque, et ex toto accidit usque adeo ut ne validissima quidem respiratio murmur excitare possit. Cum humor effusus resorberi incipit, murmur in aliis partibus præter illam prope vertebras redit. Quandocunque vero existunt adhæsiones per magnum spatium inter pleuras, respiratio tamdiu quam durat effusio super eas percipi potest, atque bene ideo cognoscimus ubi incipiat absorptio, quia tum super eas partes murmur augetur.

DE CAUSIS HUJUS MORBI.

Causa hujus morbi frequentissima est frigus corpori simul cum humore adhibitum, quo sanguis introrsum in pleuram pulmonemque propellitur, vasis summæ cutis constrictis: etenim inter internam et externam thoracis faciem, liberrime communicant vasa sanguifera. In regionibus frigidis quæ mutationes tam subitas tempestatis quam solent esse in Insulis Britanniæ, non subeunt, pneumonia pene incognita est; id quod in itinere per maria septentrionalia a Parry nu-

per peracto animadversum est. Qui valetudine et viribus gaudent huic morbo maxime obnoxii sunt, sæpissimeque eo plectuntur. Inter cæteras causas recenseri possunt, injuriæ pectori illatæ, nisus vehementiores, aër noxius, et quicquid denique fluxum sanguinis pulmonem versus facit vel pulmonem ipsum lædit. Eruptiones et podagra retropulsa, rubeola etiam et variola, vulnera ex ustione facta, dysenteria, multique alii casus, in pneumonia finiuntur; quinetiam febrem, præsertim typhoideum, sæpe comitantur dolores pectoris peripneumonici.

DE PRÆSAGIO IN HOC MORBO.

Eo magis est periculum in hoc morbo quo difficilior sit spiritus, graviorque febris, quoque sæpius idem morbus hominem antea vexaverit. Si signa post diem sextum vel septimum mitiora esse cœperunt, si copia muci viscidi coloris albidi vel subflavi sine tusse vehementi expuitur, si totum quidem corpus percurrit sudor, omnibus simul recte peractis functionibus, de ægri salute

minime desperandum est; multo quoque minus, si miliaria vel erysipelas forte alicubi, se monstrarint. Ubi autem difficultas spirandi magna est, ubi febris multum urget atque tussis arida est, cum sudoribus frigidis tantum neque diffusis, ubi ægri mæstitia et anxietas sunt permagnæ, homo in præcipiti est, frustraque fere conabimur morbum depellere. Quod si malum neque grave admodum nec mite, ad diem decimum vel quartum decimum perductum fuerit, tunc pus genitum fuisse, vel substantiam hepatis similem formari, verisimile est, præsertim si dolor desierit, perstante adhuc tusse cum sensu quoque ponderis in pectore atque horroribus: nec felix hic est præsagium, nisi minima copia et gradatim pus exspuitur.

DE HUJUS MORBI CURATIONE.

Plerumque medici est in morbis curandis conatibus naturæ quam maxime favere; nec valde errare potest, si huic potius quam disciplinæ suæ confidit. In hoc autem de quo tractamus morbo,

ad curationem efficiendam raro sola valet vis naturæ medicatrix. Ars medica ad hanc oppressam dolentemque adjuvandam, mature soliciteque arcessi, summaque fiducia adhiberi debet. Exinanitiones quas natura aliquando movet, fluxus scilicet sanguinis a naribus, a vesica, vel etiam ab ano, raro si unquam prodesse videntur; modum autem quo melius utamur plane demonstrant.

Oportet igitur sanguinem quamprimum mittere, incisa vena, idque ampla plaga, ægro in dorsum cubante; nec minus si movetur syncope, bonum edit effectum. Raro evenit quod ad morbum discutiendum valet una tantum sanguinis missio; plerumque autem si sustinere possunt vires ægri, quamdiu exardet febris est repetenda, simulque cucurbitulæ thoraci vel hirudines affigendæ sunt. Scire tamen licet, unam inter initia missionem copiosam maxime valere; multo magis quam plures, quæ morbo ingravescenti fiant minores. Cavendum est autem, ne plus sanguinis quam ferre possunt ægri vires detrahatur; quod plerumque accidit, cum auxilium non nisi sero adhibitum fuit; tum enim exinanitiones magnæ quo minus pus vel serum gignatur

non vetant, sed debilitatem semper timendam sæpe inducunt.

Hirudines thoraci admotæ tum cum e brachio sanguinem mittimus, maxime prosunt; et ubi febris his modis minuitur, vel antea quidem, emplastrum vesicatorium amplum pectori semel atque iterum imponi debet. Ad hæc sales medios, sulphatem scilicet magnesiæ aut phosphatem sodæ vel oleum ricini ad alvum leniter solvendam, præ cæteris medicamentis dare oportet. Constat enim omnia medicamenta quæ alvum vehementer purgant, inflammationibus pulmonis parum convenire; neque enim tam adjuvant ventris fluorem movendo, quam nocent universum corpus præter modum excitando. Liquores autem acidi vel mucilaginosi, potui commode adhibentur ad libitum. Inhalatio vaporum aquæ calidæ, vel medicamenta ex scilla maritima, acetum scilicet scillæ, expectorationi favent. A cibis pene omnibus abstinendum est quicunque febrem augent moventque: victus refrigerans esse debet, conclave frigidulum; caputque et scapulæ quam maxime attolli debent, quo facilius homo spiritum ducere possit. Suadente Doctore Hamil-

TON apud Lynn Regis optimum habet effectum opium, quam conjunctus fuerit submurias hydrargyri. Hoc autem, pariter atque alia ex opio medicamenta, non nisi cum depulsa fuerit febris, dare oportet, ut quod pulsus concitare possit. Primo aspectu efficacissimum in hoc morbo remedium videtur fore digitalis, eo quod ad sanguinis circuitum reprimendum tam cito valet; attamen nisi in angustiis summis, aut ubi debilitas missionem sanguinis vetat, remedium periculi et dubitationis plenum, parum commode adhibetur.

Denique omnia quæ morbum concitarunt, oportet ægrum, valetudine jam recuperata, sedulo evitare; quocirca aër frigidus et humidus summa cura fugiendus est, et ad hoc cibus concoctu facilis devorandus, idque omnibus modis, ut quam sanitatem medici studium restituit, eam ægri observatio integram conservet.

FINIS.